

Hujus ergo formam & indolem evidenter enarrabo, atque etiam medicamenta adjuvantia, & quae de re hanc febrem ardentem, noxiam, semitertianam nuncupabat antiquitus Hippocrates medicorum optimus, prius autem omnia firma enarrabo signa, quibus haec tertianae assimilatur, & ea quibus ab illa discrepat; quae cum sit interquiescens, intermissionibus ac in alternis diebus cum vigore gelido mortales corripit; postquam facile calor ardens irruit una cum siti sicca; ultimus autem sudor subsequitur, qui febris potentiam alternis diebus illi co solvit. Quae vero tertiana duplex appellatur, etiam ea invadit quidem quotidie cum vigore & calore, alternis diebus semper sibi similibus, at vero mitioribus magisque brevioribus.

§. 3. Ista vero incrementa dira omnia signa mortalibus apparent; die etenim sequente citius jam invadit, nec molestias pridianis similes excitat, multo autem tristiores; antequam enim interquiescat, vel ad solutionem frustra veniat, praevenienter invadens hoc die irruit, matutine vero, quae pridie pomeridiana, infiliit magis, atque retrograda irruit, symptomata gravia inferens,